



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 2. Adami scientia è nominibus, quæ rebus indidit, agnoscenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

Est autem vetus quaestio, priusne nomina suas habuerint proprias significaciones, vt proinde imposita sint rebus, prout ipsarum naturis aptius congruere videbantur, vt Platonici voluerunt; an potius nomina, indifferenter, & ad placitum, rebus fuerint indita (vt Peripatetici docuerunt, & in diuisione linguarum videtur accidisse) postea autem à rerum naturis suas acceperint etymologias. Platonici fauere videtur sacra historia, quæ innuit, nomina rebus, ab Adamo, fuisse velut consultò imposita: qui cum, pro sapientia sibi diuinitus infusa, rerum naturas, & singularum vocum significaciones optimè dignosceret, conuenientia singulis nomina accommodauit. Quod satis clarè colligitur ex illis:

*Formatis igitur, Dominus Deus, de humo Gen. 2. 19.*  
*cunctis animantibus terra, & vniuersis volatilibus caeli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea, omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia caeli, & omnes bestias terra. Quippe ni & plantas, & lapides, & metalla, & ipsa quoque sidera? solem & lunam? quamuis vtrique eis superstitiosa*

stitiosa Deorum & fabularum nomina nõ dederit: cùm monstra illa tunc nondum ex Orco in terras emerferint; neque, si emerfissent, eorum vocabulis astra fuisset homo sapientissimus, & adhuc innocentissimus, maculaturus: immò cùm nomina & vocamina rerum omnium, saltem in radicibus suis, à Deo, cum sermocinandi facultate accepta, utique contra Dei honorem, creaturis non esset impositurus.

## §. III.

*Rerum creatarum, quàm delectabilis cognitio?*

Ex hac porrò nominum impositione docetur, quàm gnarus fuerit Adamus omnium naturarum, quarum nomenclatura ex cognitione pendet nominantis. Eam autem cognitionem diuinitus inditam, ac postea etiam oculis, atque ceterorum sensuum experienciã confirmatam, quantæ oblectationis causam non arbitremur extitisse? Philoni in voluptate fuit terra, quæ irrigata vel fluminum restagnationibus, sicut *Aegyptus*; vel annuis imbribus, exhausta feracitate vires reficit, & quiete modica se refouet, moxq; ut antè, alimenta largiter animalibus suppeditat. Quapropter, opinor, Poeta

Philolib.  
An. Mūd.  
fit corruptib.